Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

perficitur in consummatione decalogi. Ioram annis .xii. regnat, cum extremus ille synagoge populus perfectione decalogi, uel scientia duorum testamentorum uel fide et dilectione consummatur. Malum coram domino facit, cum ante conuersionis gratiam perfidie reatu se polluit. Sed non sicut pater eius ordo scribarum et phariseorum, et mater eius synagoga. Ioram statuas baal tollit, quas pater eius fecerat, cum populus iudaicus ad fidem conuersus, uetustas traditiones mundane uoluptatis respuit, quas ordo scribarum et phariseorum instituerat. Uerumtamen in peccatis ieroboam filii nabath qui peccare fecit israel adheret, nec ab eis recedit, quia populus iudaicus etiam ad dominum conuersus, cottidianas peccatorum sordes non potest euadere, quas primus ille parens sua preuaricatione humane inuexit nature. SEQUITUR

PORRO mesa rex moab nutriebat pecora multa, et soluebat regi israel centum milia agnorum, et centum milia arietum cum uelleribus suis. Cumque mortuus fuisset achab, preuaricatus est fedus quod habebat cum rege israel. Egressus est igitur rex ioram in die illa de samaria, et recensuit uniuersum israel. Misitque ad iosaphat regem iude, dicens. Rex moab recessit a me, ueni mecum contra moab ad prelium. Qui respondit. Ascendam. Qui meus est, tuus est. Populus meus, populus tuus, et equi mei, equi tui. Dixitque. Per quam uiam ascendemus? At ille respondit. Per desertum idumee. Perrexerunt igitur rex israel et rex iude, et rex edom, et circuierunt per uiam .vii. dierum, nec erat aqua exercitui et iumentis que sequebantur eos. Dixitque rex israel. Heu heu heu, congregauit nos dominus tres reges, ut traderet in manu moab. Et ait iosaphat. Est ne hic propheta domini, ut deprecemur dominum per eum? Et respondit unus de seruis regis israel. Est hic heliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus helie. Et ait iosaphat. Est apud eum sermo domini. Dixitque ei. Est. Descenditque ad eum rex israel et iosaphat, et rex edom.

MESA onus uel assumptio dicitur. quo nomine uetus lex exprimitur, que in littera oneratur, in allegoria assumitur. Mesa rex moab scribitur, quod tribulatio dicitur, quia uetus lex per tribulationem carnis perficitur. Unde quibusdam de iudea descendentibus et circumcisionem docentibus loquitur PETRUS. Quare temptatis imponere iugum ceruicibus discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus. Rex moab pecora multa nutrit, quia uetus lex infinita christi et ecclesie mysteria in se gerit. Rex moab soluit regi israel centum milia agnorum, quia uetus testamentum in littera legis et prophetarum populo iudaico emittit balatum celestium mysteriorum.

Rex moab soluit regi israel centum milia arietum cum uelleribus suis, cum uetus testamentum innumeras prefigurationes christi et ecclesie populo iudaico describit in littere inuolumentis. Achab moritur, cum populus iudaicus in passione christi sua perfidia extinguitur. Rex moab fedus quod habet cum rege israel preuaricatur, cum uetus testamentum in passione christi ab agnitione et salute populi iudaici alienatur. Rex ioram in die illa de samaria egreditur, cum in die illa qua spiritus sanctus de celis mittitur, ecclesie populus scientia et uita excelsus, quia ioram dicitur excelsus, de ueteris testamenti obseruantia per institutionem noui testamenti progreditur. Rex ioram in die illa de samaria egreditur, cum spiritus hominis fide et dilectione sublimis, in die illa conuersionis, de sollicita uite custodia, contra uoluptates carnis ad pugnam progreditur. Rex ioram uniuersum israel recenset, cum spiritus cogitationes, uerba et opera per timorem dei sollicite cohibet. Ioram ad iosaphat regem iude mittit, cum ratio spiritus uitam anime in auxilium sue salutis asciscit. Rex inquit moab recessit a me, ueni mecum contra moab ad prelium. Moab ex patre dicitur, per quod carnalitas exprimitur, que tunc a spiritu recedit, cum uigorem rationis per consensum delectationis subigere contendit. Sed iam ratio spiritus anime in